

Sed saepe modus ille non sufficit apud intelligentes et astutos, qui potius ex his formulis coniciunt, verum esse crimen, quod non asseritur aperte esse falsum. Tunc igitur detractor tacendo de dictis, data occasione, cum dexteritate et veritate laudare et honorare debet eum, cui detraxit.

459. **Resolves.** — 1^o Qui alium iniuste diffamavit verum crimen manifestando, tenetur ad integrum damnum inde proveniens reparandum; quia iniusta illius revelatio est causa vera et unica damni. — S. Lig. n. 994.

2^o Qui detraxerit per libellum famosum, tenetur, ut efficax sit restitutio, eam facere contrariis scriptis vel publica revocatione. Item innotescere debet reparatio, si cognoscatur, diffamationem ad multos pervasisse, sed ignoretur ad quos pervenerit. — S. Lig. n. 995.

3^o Item in defectu diffamatoris ad reparationem famae tenentur, qui ad diffamationem propagandam cooperati sunt, iique omnes pariter tenentur de damnis fortunae, si quae acciderint.

Diffamator non tenetur ad veniae petitionem, si famam reparare non possit, nisi famam simul et honorem laeserit: quia per veniae petitionem fama perdita non restituitur; nec ille magis urgetur obligatione veniae petendae, quam qui non potest restituere bona fortunae, in quibus aliquem laeserit. — *Ita communiter.*

460. **Quaesita.** — **QUAER.** 1^o *Quaenam sint causae a restitutione famae excusantes?*

Resp. Sequentes communiter admittuntur:

1^o Si delictum, quod uni vel pluribus revelasti, ex alia via publicum evaserit, aut si fama alio modo reparata sit, v. gr. per sententiam iudicis, etc.

2^o Si prudenter iudicetur, criminis memoriam temporis decursu oblivione deletam esse.

3^o Si restitutio famae fieri nequeat sine vitae periculo; quia vita est bonum ordinis superioris, ac fama; item si restitutio famae sit multo minoris valoris, ac iactura, quam pati deberet diffamator, v. gr. si esset homo honoratus et praesertim bono publico vel Religioni valde utilis.

4^o Si reparatio sit moraliter impossibilis ob nimiam locorum distantiam aut alias speciales difficultates, quae praesertim in reparatione detractionis simplicis reperiuntur; v. gr. si qui audierunt detrahentem, a praeoccupata opinione revocari non possint.

5^o Si iudicetur, detractioni fidem adhibitam non fuisse ab audientibus, ut fit saepius, quando in irae calore detrahitur.

6^o Si infamatus obligationem expresse vel tacite remiserit, modo remittere possit; imo quandoque sufficit condonatio praesumpta. — S. Lig. n. 1003. Eam autem remittere non potest, quando ex eius infamia se-

quitur scandalum, aut damnum vel commune vel suorum, etc.; v. gr. si agatur de infamia Sacerdotis, magistratus, etc. — S. Lig. n. 997. et seq.

QUAER. 2^o *An detur obligatio restituendi famam sine formali iniustitia laesam, v. gr., si quis detrahat ex inadvertentia?*

Resp. Affirm., quia quisque tenetur reparare damnum ex sua actione proveniens, si commode possit, ut dicemus in *Tractatu de Iustitia et Iure.* — S. Lig. n. 994.

461. — **QUAER.** 3^o *An infamans teneatur famam restituere etiam coram iis, qui crimen a se revelatum mediate acceperint?*

Resp. Affirm., *probabilius*, imo et verius, si famam violasti apud audientes, quos praevidebas facile infamiam evulgaturos; quia tunc es vera causa damni; secus non teneris. — S. Lig. n. 991.

QUAER. 4^o *An excuseris a restitutione famae, si etiam laesus tuam famam violaverit, nec restituere velit?*

Resp. Negant Navarrus, Sporer, et quidam alii; sed probabilius affirmandum cum S. Alph. n. 999.; quia non teneris alteri ius suum reddere, si ille recusat tibi reddere tuum.

QUAER. 5^o *An tenearis famam pecunia compensare, si eam restituere non possis?*

Resp. Neg. saltem *probabilius*, quia iustitia obligat tantum ad reddendum ablatum, aut aequivalens; sed pecunia non fuit ablata per detractionem, neque ipsa est famae aequivalens, cum sit alterius ordinis. — S. Lig. n. 1000., etc.

CAPUT III.

DE CONTUMELIA

462. — Contumelia est iniusta honoris laesio praesenti et scienti irrogata. Honor autem est externa testificatio aestimationis, quae de alicuius excellentia interne habetur. Praesens vero aliquis esse potest, vel personaliter seu physice, vel moraliter per imaginem, perque aliud in quo aliquatenus repraesentetur.

Contumelia autem fieri potest 1^o *negative*, per omissionem honoris hic et nunc debiti; 2^o *positive*, tum verbis tum factis aut signis contemptus.

Ad contumeliam referuntur 1^o *irrisio*, qua quis verbis et risu contemnitur; 2^o *subsannatio*, qua quis gestibus ridiculis irridetur; 3^o *improperium*, quo alicui inopia, defectus, vel ortus obscuritas exprobratur.

463. — *Dico I.* Contumelia est peccatum mortale ex genere suo. Est enim quid gravius detractione, quae *per se* est gravis. Constat praeterea ex verbis Scripturae. *Matth. 5. 22.*: *Qui autem dixerit fratri suo:*

Raca, reus erit concilio; qui autem dixerit: Fatue, reus erit gehennae ignis (*).

Dico II. Contumelia *per se* strictam inducit obligationem restituendi honorem et reparandi damna, si qua subsequuta fuerint, saltem si in confuso fuerint praevisa, ut patet ex dictis de restitutione famae. — S. Lig. n. 966.

Licet autem teneamur contumelias tolerare, animum vindictae abiciendo; quandoque tamen expedit contumelias repellere, quando nempe tolerantia obesse posset bono communi, v. gr. si Praelatus tolerando redderetur contemptibilis, et sic subditorum petulantia adaugeretur, etc. — S. Lig. n. 966.

464. **Resolves.** — 1^o Honor publice per contumeliam ablati, publice est restituendus coram illis, qui dehonorationis testes fuerunt, vel saltem ita, ut satisfactio ad ipsorum notitiam pervenire possit. Sufficit autem, ut satisfactio fiat per aliam personam, quae nomine dehonoris veniam petat. — S. Lig. n. 984.

2^o Restitui pariter debet honor laesus per contumeliam occultam, quia verum honoris damnum proximo fuit illatum; reparatio tamen occulte fieri potest. — S. Lig. n. 985.

3^o Ea honoris restitutio requiritur, quae censeatur sufficiens ad manifestandam aestimationem iuxta personae offensae conditionem. Si enim qui dehonoris fuerit Superior, sufficit si dehonoris salutet, domi invisat, aut ei benevolentiam ostendat. Si autem fuerit aequalis, vel *a fortiori* inferior, maior requiritur satisfactio, nempe ut praeveniat in salutando, cedat locum, veniam petat etc., si alio modo sufficienter satisfacere nequeat. — S. Lig. n. 986.

4^o Si inhonoratus vindictam sumpsit, v. gr. alterum percutiendo, vulnerando..., plerumque pro honore non requiritur ulterior satisfactio; quia ille pro satisfactione videtur acceptare vindictam, alter vero non resistendo videtur fateri suam culpam et aestimationem de altero. — S. Lig. n. 989. — Item a restitutione honoris eximuntur rustici, si inter ipsos impacta mutuo fuerint aequalia convicia aut impropria, quia eo ipso fit compensatio.

5^o In praxi multoties expedit, ut Confessarius omittat monere poenitentem in bona fide existentem circa satisfactionis obligationem, ma-

(*) Loquitur Dominus de eo qui fratrem odit atque de eodem affirmat, quod non tantum occisio, quae est ultimus veluti terminus odii, sed et contumeliae (utique ex odio prolatae), quibus via quodammodo ad homicidium perpetrandum

sternitur sunt gravia peccata. Quocirca si in alia hypothese verba iniuriosa in proximum proferuntur, ad ea proprie non spectat haec sententia Christi. Cf. Maldonatum in h. l.

xime si praevideat, monitionem non profuturam esse, vel si putet eum, qui dehonoris fuit, facile id condonare, aut recusaturum esse reparationem praesertim publicam, ne memoria iniuriae apud alios redeat, aut ne ipse rubore magis afficiatur, etc... — S. Lig. n. 988. — V. *Cas.* n. 434.

CAPUT IV.

DE IUDICIO TEMERARIO, SUSPICIONE, ET DUBITATIONE TEMERARIA

465. — 1^o *Iudicium temerarium* est firmus assensus ex levibus indicibus conceptus de aliquo peccato vel defectu proximi: distingui debet ab opinione, quae est assensus minus firmus et cum formidine de opposito.

2^o *Suspicio temeraria* est quaedam inclinatio ad assensum de malo proximi ex insufficienti ratione.

3^o *Dubitatio* est suspensio animi in neutram partem se determinantis.

466. **Principia.** — I. *Iudicium temerarium* de culpa proximi est peccatum mortale *ex genere suo* contra iustitiam; quisque enim ius habet ad bonam sui existimationem apud singulos, nec malus praesumi quisquam debet, donec probetur: proinde iniuriam gravem proximo infert, qui contra eum in re gravi temere iudicat. Saepius tamen veniale est ob materiae parvitatem aut actus imperfectionem.

II. Ad gravitatem iudicii temerarii requiritur 1^o ut sit firmum, seu citra dubium; 2^o ut sit plene deliberatum et voluntarium; 3^o ut sit in re gravi de persona determinata et cognita; 4^o ut innixum sit indicibus, quae uti levia et inepta ad iudicandum cognoscantur. Ratio horum est, quia alias non esset verum iudicium, neque vere temerarium, neque graviter proximo iniuriosum. Saepae autem leve est ob defectum alicuius ex commemoratis conditionibus. — S. Lig. n. 962.

III. *Suspicio temeraria*, et *dubitatio* de labe proximi sunt venialia tantum ex genere suo. Ratio est, quia ob debilem et facile mobilem adhaesionem ordinarie leve tantum damnum proximo afferunt, cum famam non tollant, sed tantum minuunt et dubiam reddant. — S. Lig. n. 963. — Si quis vero sine ratione, sed ex malevolentia in suspicione vel dubio de re admodum gravi persistat, mortale vix effugiet. — S. Lig. n. 963.

467. **Resolves.** — 1^o Non peccat graviter, qui de proximo sinistre iudicat, si iudicium innititur indicibus ad prudentem probabilitatem sufficientibus, quia moralis certitudo et vera probabilitas non adeo distant, ut censeatur gravis iniuria habere quasi certum, quod est valde probabile. — S. Lig. n. 962.

2^o Non peccat graviter, quia iudicando non advertit plene ad moti-

vorum insufficientiam, quamvis advertat se minus prudenter iudicare, vel si negligentiam tantum levem admittat in repellendo iudicio. — S. Lig. *ibid.*; *Hom. apost.* n. 1.

3^o Non peccat graviter, qui temere iudicat de aliquo indeterminato inter plures, v. gr. alicuius coetus vel communitatis, vel etiam de aliquo determinato quidem, sed sibi ignoto. — S. Lig. *ibid.*

4^o Non temere iudicares, si audiens aliquid a viro probo et fide digno contra proximum, illud crederes. Multo minus, si suspicareris aut dubitares tantum, cum multo minus requiratur ad prudentem suspicionem aut dubitationem, quam ad prudens iudicium; secus autem, si audires aliquid ab homine perverso aut erga alterum male affecto.

5^o Suspicio vel etiam dubitatio plane temeraria, nulli scilicet innixa rationi, peccatum mortale esse potest, si versetur circa peccata valde extraordinaria et gravia ratione conditionis personarum, quas respicit; quia huiusmodi suspicio aut dubitatio maior iniuria est, quam iudicium etiam firmum circa peccata minus gravia. — S. Lig. n. 964.

6^o Licet damna praecavere ex timore non omnino imprudenti; atque ita, v. gr. potes res tuas sub custodia servare, ne surripiantur a peregrino domi tuae commorante; quia etsi non possis positive iudicare, hunc vel illum esse furem, potes tamen optime tibi consulere, cum certo scias, inter homines esse aliquando fures, quamvis a furto alieni existimentur.

APPENDIX.

DE VIOLATIONE SECRETI.

468. — Secretum in genere dicitur quidquid occultum est: quoad rem nostram attinet, secretum vocamus, quidquid vel ex natura sua, vel ex speciali contractu, occultum servari debet.

Triplex distinguitur secretum

1^o *Naturale*, si ab ipsa natura imponatur, v. gr. si quid scias quod manifestare nequeas sine gravi alterius laesione sive in aestimatione, sive in bonis, etc.

2^o *Promissum*, si quis arcanum ab alio audiens vel casu discens, promittat, se id non revelaturum.

3^o *Commissum*, si quis alteri quidpiam manifestet, et simul ab ipso silentium circa illud tacite vel expresse exigat.

469. **Principia.** — I. Secretum *naturale* in re gravi obligat *per se* sub gravi, et quidem ex iustitia, nisi iusta causa excuset. Ratio est, quia ex revelatione secreti sequitur *per se* damnum proximi, qui ius habet, ne sine causa rationabili laedatur. — S. Lig. n. 970. — Salm., etc.

II. Secretum *promissum* obligat *per se* graviter vel leviter pro qualitate

materiae et natura susceptae obligationis, quae plerumque est ex sola fidelitate. Ratio est, quia contractus continetur simplici promissione, quae *per se* obligat solum ex fidelitate et iuxta intentionem promittentis, ut de voto dictum est (1). — S. Lig. *ibid.* et *alii communiter.*

III. Secretum *commissum* seu *communicatum*, quod dicitur etiam rigorosum, obligat *per se* sub gravi ex iustitia, et quidem strictius ac secretum mere naturale, atque etiam promissum; quia praeter obligationem naturalem urget etiam obligatio ex contractu expresse vel tacite suscepta (2). — S. Lig. n. 970.

470. **Quaesita.** — **QUAER.** 1^o *Quaenam sint causae iustae secretum manifestandi?*

Resp. 1^o Consensus recte praesumptus illius, cuius interest secretum occultari. — 2^o Divulgatio rei aliunde profecta. — 3^o Damnum ex secreto secuturum Reipublicae vel privatis. Attamen si agatur de damno iam illato, non potes licite secretum commissum revelare, quousque damnificator ipse se prodere non tenetur (3). — S. Lig. n. 971., Lugo, Sanchez, etc.

(1) Quando materia secreti promissi etiam citra quamlibet promissionem suapte natura exigit, ut occulta servetur, quia scilicet est materia naturalis quoque secreti, facile intelligitur, legem secreti promissi posse etiam *graviter* obligare. Non item, si totam secreti obligationem repetas ex promissione; promissionem vero generatim statuas ex mera *fidelitate* obligare, quippe obligatio fidelitatis iuxta communem doctrinam ex genere suo levis est. Clarius itaque rem compones, quando advertas eum Card. De Lugo (*De iust.* disp. 23. n. 14. et 90-91.), vi promissionis posse quempiam se obligare vel ex mera *fidelitate* vel ex *iustitia*, et a promittentis intentione ac libera voluntate pendere, utro modo se obliget; quo revocari possunt et verba Auctoris aientis: *et iuxta intentionem promittentis*. Sub levi ergo obligabit promissio, si ex mera fidelitate quis promittat; si vero ex iustitia, pro ratione materiae poterit et sub gravi obligare.

(2) Contractus intercedit etiam in secreto *promisso*; sed a contractu secreti

commissi differt, quod ille sit contractus *gratuitus*, hic vero sit *oneratus*; neque enim tibi notitiam rei alter committeret, nisi promissionem secreti a te reciperet.

(3) Et in hoc differt secretum *commissum* a mere *promisso*, quod in hoc postremo promittens non accepit rei notitiam vi promissionis suae, sed notitiae utrumque acceptae secretum gratuito promittit. Porro dum hoc deinde promittit, etiam addito iuramento, non potest per promissionem suam se eximere ab obligatione, qua iam teneatur. Cum ergo quisque iudici legitime interroganti teneatur veritatem aperire, promissio secreti ad casum iudicis legitime interrogantis extendi non potest. Contra vero accidit in secreto *commissum*. Nam bonum commune postulat, ut ne metu revelationis homines priventur commodo consilii aut auxilii necessarii quaerendi, quod tamen quaerent nunquam, nisi certi de secreto servando forent. Postulat ergo bonum commune, ut quousque *committens* licite potest suum secretum servare, ius retineat, ne alter illud prodatur. Hinc ratio, cur me-